



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Manvale Parochorvm, Sive Institviones & Praxes Tum
Vitæ, tum Officii Pastoralis**

Musart, Charles

Monachii, 1654

VI. Quid agendum de particulis consecratis propriae, vel alterius Sacrificii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41616

gere. De guttis intra cuppam, nisi
eas consecrare expressè intenderis,
maior est dubitandi causa, quia vide-
tur conforme menti Christi, & Eccle-
siæ: ut per pronomen *Hic* in conse-
cratione, id totum intelligatur, quod
est in Calice consecrabile: saltem nisi
restrinxeris mentem ad solum id,
quod in Calice continetur per modum
continui. Ego intendo circa conten-
tum in Calice me conformare menti
CHRISTI, & Ecclesiæ. Si mecum
sentias, extricabis te eā molestiā: quid-
quid sit, particulas eiusmodi, & guttas
simul cum aliis consecratis ante puri-
ficationem Calicis sume, ad maiorem
cautelam.

NVM: VI.

*Quid agendum cum minutis particulis
consecratis.*

*S*I eiusmodi fragmenta consecrata
compareant adhuc iejuno, con-
stat sumenda esse ante purificationem
cali-

166 *Institutionum Pastoralium*
calicis, vel saltem cum illâ : si modò
sint consecrata in tuo Sacrificio; cō-
dem enim pertinent. Sed quid ages, si
vel iam iejunus, sumptâ purificatione,
non sis; vel certè deprehendas, esse par-
ticulas alterius Sacrificii antea comple-
ti? Si adhuc es iejunus, etsi alterius
sint Sacrificii, sume, ne malè pereant;
si verò sint tui Sacrificii, etiam sume,
quamvis iam non sis iejunus; modò
ab altari necdum recesseris, imò licet
interim populum aliquamdiu com-
municaueris : censetur enim adhuc
persistere idem Sacrificium : quòd si
verò prioris Sacrificii fuerint, neq; si
iejunus, ne sume: sicut neque, licet tui
sint Sacrificii, si ab altari recesseris.

Quid ergo cum his agam? inquiet:
reconde sacro loco in tutum, donec in
alio Sacrificio, à te, vel ab altero ieju-
no sumi possint: si tamen tam minu-
tulæ essent particulæ, ut asseruari sine
periculo minimè possint, sume etiam
non iejunus, ne malè pereant.

Sj

Si quando dubium incidat, sintne
tui, an prioris Sacrificii, reputa pro
tuis: non enim est suspicandum alte-
rum neglexisse, nisi constet. Cùm
communicandus est populus, id facies
ante sumptam purificationem calicis:
nam cùm remansurus sis iejunus, eius-
modi particulas quascunque sumere
poteris, sicut fit, cùm ciborum à mi-
nutis eiusmodi particulis expurgan-
dum erit.

NVM : VII.

De interruptione Missæ.

Sacrificium inchoatum interrum-
pi fas non est, nisi graues causæ
excusent: excusant aliquæ: si ante ob-
lationem superueniat Episcopus, vel
vir Princeps, vel multitudo iter faci-
entium die, quo ad Missam obligan-
tur, potes ab initio repetere, ut inte-
gram audiant: si ab altari euoceris ad
Baptismum, aut Sacramentum Pœni-
tentiae, aut Viaticum conferendum ei,
qui